



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 15. Quanta sit Dei bonitas homines per monstra præmonentis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

## § XV.

*Quanta sit Dei bonitas homines, per monstra  
præmonentis?*

Itaque, peccantibus hominibus, finit  
Deus etiam naturam peccare, ut de clade  
futura cogitantes animadvertant, quan-  
tum ab eorum sceleribus Author naturæ  
abhorreat, qui monstris maximis ostendit,  
nihil esse tam monstrosum, quam pecca-  
tum. Sed & bonitatem suam immensam  
declarat. Ex benevolentia enim nuncium  
præmittit, ne veniat inopinatus. Præco-  
gitatum malum minus offendit; & ictum,  
quem prævidemus, commodius excipimus.  
Immò longè facilius declinamus. Idcirco  
monstra præcedunt, ut signum sint rei ali-  
cuius gravis secuturæ; eam quia consul-  
tius est auertere, quam expectare, clemens  
providentia est, præmonere secuturam.  
Sic equis non in ipso cursu, aut præcipitio,  
sed antè fræna iniiciuntur. Quanti passim  
fiunt vaticinia? quanta olim in æstima-  
tione fuerunt Sibyllarum oracula? Nonnè  
beneficij magni loco recensuit rex David:  
*Incerta, & occulta sapientia tua manifestasti* Psal. 50. 3.  
*mibi?* Numquid ipse Deus, in amoris te-  
stimonium, dixit; *Num celare potero.* Abra- Gen. 18. 17  
*ham,*



Gen. 9. 16.

ham, qua gesturus sum? Denique nonne amoris signum fuit, quando illa voce Patriarcham consolatus est: *Eritq; arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum & omnem animam viventem?* Cùm ergo plerumq; Mundi Gubernator etiam monstris aliquid significare soleat, sine optimo ea in mundum inducit. Perea enim hominibus loquitur, præcauet, vaticinatur. Qui illum timent, qui filij sunt morigeri, faciem eius præoccupant in confessione. Vident enim atque intelligunt, quò radius eat, & ad quem scopum diuinus digitus intendatur. Quare vel se præparant ad cælestem iram fortiùs excipiendam, vel citiùs anteuertendam. Lippientibus oculis vel sine fructu, vel non sine molestia lumen admouetur. Qui si aliud nihil è monstris discere vellent, saltem possent in illis æternæ prouidentia signa agnoscere. *Idoneum, opinor, testimonium diuinitatis, veritas diuinationis,* ait Tertullianus. *Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, jam scilicet probatorum, quia cum illis, qua quotidie probantur, prædicantur. Enimuerò, si rectè calculum ducimus,*

Tertull.  
in Apo-  
log. ad  
uerf.  
gent. c. 20

imus,



eimus, & iudicia Numinis attentius confi-  
 deramus, tanta illius est bonitas, vt nun-  
 quam feriat, nisi pramonitos. Etsi enim  
 minetur impijs *repentinam calamitatem* & Prou. 10  
*interitum quasi tempestatem*, tamen eos do- 27  
 cet cauere: dum enim minatur, monet. Et  
 disertè perspicueque ipse Seruator: *At.* Luc. 24.  
*tendite, inquit, vobis, ne fortè grauentur cor-* 34  
*da vestra in crapula, & ebrietate, & curis hu-*  
*ius vitæ: & superueniat in vos repentina dies*  
*illa: tanquam laqueus enim superueniet in om-*  
*nes, qui sedent super faciem omnis terra. Vi-*  
*gilate itaque omni tempore, orantes, vt digni*  
*habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt,*  
*& stare ante Filium hominis. Et adhuc cla-*  
*rius: Vigilate ergo (nescitis enim quando Do-* Marc. 13.  
*minus domus veniat: serò, an media nocte, 36*  
*an galli cantu, an manè) ne cùm venerit re-*  
*pentè inueniat vos dormientes. Quod autem*  
*vobis dico, omnibus dico: Vigilate. Si omni-*  
*bus dicit, ergo omnes monet: nullum*  
*igitur, nisi pramonitum, ferit. Quanquam*  
*non illis duntaxat verbis monet. Monet*  
*mille modis; inter quos est etiam vnus*  
*iste per monstra. Qua de caussa ita scri-*  
*bit ad Gentes Tertullianus: Quidquid agi-* Tertull.  
*tur, prænunciabatur; quidquid videtur, au-* loc. cit.  
*diebatur.*



diebatur. Quòd terra vorant vrbes, quòd insulas maria fraudant, quòd externa atque interna bella dilaniant, quòd regnis regna compulsant, quòd fames & lues, & locales quæque clades, & frequentia plerumque mortium vastant; quòd humiles sublimitate, sublimes humilitate mutantur; quòd iustitia rarefcit, & iniquitas increbrescit, bonarum omnium disciplinarum cura torpescit; quòd etiam officia temporum, & elementorum munia exorbitant; quòd & MONSTRIS & portentis naturalium forma turbatur, prouidenter scripta sunt. Dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur. Ita diuina sapientia non tantùm clades per monstra, sed ipsa etiam monstra per vaticinia prædixit.



CAPVT